



482.

1669735<sup>a</sup>

32  
H

*Auxiliante DEO Trinuno!*

DISSERTATIO JURIDICA  
De

# OCCUPATIONIBUS.

*Quam*

Authoritate & Consensu

MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS

IN ILLUSTRISSIMA SALANA

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Præ-Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi  
atque Excellentissimi*

DN. ERNESTI FRIDERICI

Schröters, Hæreditarii in Wickerstädt, Jcti

& Antecessoris Famigeratissimi, Consilarii Saxonici

Eminentissimi, Curia Provincialis, Facultatis Juridicæ &

Scabinatus Adfessoris Gravisimi, nec non p. t. DE-

CANI spectatissimi,

Dn. Præceptoris, Patroni, atque Studiorum Promotoris

omni observantiæ cultu æternum venerandi,

*publicæ Eruditorum disquisitioni*

*subjicit*

GOTHO FREDUS Bollner,

URATISLAVIENSIS,

AUTOR

*In Auditorio Jctorum*

Ad diem Mensis Julii AN. M. DC. LXIX.

JENÆ, Typis JOHANNIS WERTHERI.





INCLYTÆ  
REIPUBLICÆ URATISLAVIENSIS  
VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Strenuis, Amplissimis, Consultissimis*  
DNN.

PRÆSIDI,  
SENATORIBUS &  
SYNDICIS,

PATRIÆ PATRIBUS VIGILANTISSIMIS,  
*Dnn. Patronis, Mecenatibus, atque Promotoribus*  
*meis summè colendis, observandis.*

Sonnet.

HochEdle / deren Ruhm durch Ost und Westen geh't/  
Für denen Wag' und Stahl die Themis niederleger/  
Wenn euer Weiser Geist Gericht und Rechte heget/  
Ihr Amphycionen durch die Budorgis steh't  
In Ruh' / und Glück' und Heyl. Verzeih't daß der Magnet  
Belobter Wohlthat mich und hoher Gunst beweget/  
Daß euch aus Schuldigkeit dis Blatt entgegen träget  
Die niemahls würdige Hand und Göttern sich erhöh't.  
Werff't euren Gnaden-Strahl auff mich und diese Blätter/  
Ihr Schutz-Herrn unsrer Stadt und Vaterlandes Götter;  
Es ist mein' erste Frucht auff Aons Feld gezeug't/  
Mit welcher ich aus Pflicht euch billig soll beschencken  
(Weil mit den Erstlingen man Götter soll bedencken)  
HochEdle nehmt es an / und bleibet mir geneig't.

Ewer HochEdl. Gestr. Gestr.

unterthänigster  
Gottfried Bollner / B. K. B.





I. N. D. N. J. C.

P R Æ F A M E N.



N principio statim à mundo condito & iterum mundo post diluvium reparato ipse Deus Jus in res omnes creatas ad victum & amictum necessarias ac utiles, terram ejusque fructus & omnes bestias humano generi attribuit, *Gen. 1. vers. 26. 29. 30. & cap. 9. v. 2.* quippe propter hominem universæ res, quæ in vitæ usum dirigi possunt, creatæ sunt, uti concinnè colligit *Aristot. l. 1. Polit. c. 8.* inquit: Si igitur natura nihil, neque imperfectum neque frustra facit, necesse est omnia hominum causa fecisse naturam. Solus autem homo creatus est propter Deum. Nulla autem tunc temporis adhuc erat Dominiorum distinctio, sed omnia, uti loquitur *Justinus lib. 43. cap. 1.* erant communia & indivisa omnibus, veluti cunctis unum esset patrimonium. Sed aucto genere humano usus & necessitas humana aliud suadebat. Non enim sine discordiis hæc bonorum communio subsistere poterat, cum difficillima sit applicatio ejus, quod commune est, ad singulorum usum *arg. l. 77. §. 20. ff. de legat. 2.* propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem, quæ exprimitur *in l. 17. §. 6. de recept. qui arbitr. rec.* Evenit igitur, ut quod quisque primò apprehendit, id rationis naturalis dictamine occupavit, & proprium sibi reddidit per possessionem. *l. 3. ff. de acq. rer. dom.* Quod enim ante nullius est, illud occupanti cedit, per regulam, quæ habetur *in §. 12*



*I. de R. D.* Hinc rerum distinctiones & dominia particularia introducta sunt. *l. 1. §. 1. ff. de acq. l. amitt. poss. Ungep. Ex. V. Quest. 3. Magnif. Dn. Strauch. Diss. 6. th. 27. Vid. Dn. Hahn. ad Vvesemb. tit. de Just. & Jur. n. 16.* Homines enim sunt naturâ proni ad res proprias habendas, & singularem exindè voluptatem percipiunt; contra autem vitium naturale est negligi, quod communiter possidetur. *l. 2. C. quando & quib. quart. lib. XI.* Cum itaque, ut mihi videtur, inter alios & varios acquirendi modos, præprimis qui jure gentium introducti sunt, Occupatio ob insignem ejus utilitatem non ultimum mereatur locum; ideò animo mihi proposui de hujus amplissimæ materiæ utilitate hâc vice aliquid differere, & ita tanquam publicum quoddam specimen omnibus bonis exhibere. Quoniam verò tum demum universa benè & feliciter geruntur, si rei principium fiat decens & amabile Deo. *Nov. 6 in pr. & ut rectè Imperator Justinianus in l. 2. C. de off. Praef. Prat. Affr. monet, in Nomine Domini nostri Jesu Christi ad omnia consilia & omnes actus progrediendum esse: Idcirco TE, trinune DEUS, supplex veneror, intimisque animi suspiriis imploro, ut benignissimè mihi adesse, & ut salutaria videam atque dijudicem, mentem manumq; dirigere velis. Sit itaque*

## CAPUT PRIMUM De Occupatione in genere.

Th. I.

**O**ccupationem in genere consideraturi merito sequimur monitum illud Ulpiani in *l. 1. pr. ff. de J. & Jur.* dicentis: quod juri operam daturum priùs nosse oporteat, unde nomen juris descendat. Quod idem Ulpianus repetit in *l. 1. pr. ff. de R. G.* dicens: Ere est, priusquam



quàm ad verborum interpretationem perveniamus, pauca de significatione ipsius tituli referre. Quod attinet vocabuli hujus Etymologiam, circa illam notandum est, quod sit origine vox latina, & derivetur ab occupando, quod propriè significat rem communem s. nullius ante alios capere. *Vid. Calvin. Lex. Jur. in voc. Occupare.*

Th. II. Homonymiam autem, tanquàm errorum genitricem hujus vocabuli quod concernit, sciendum est, illud diversimodam habere significationem. Primò enim per occupationem figuratè venit id, quod contra adversarii objectiones reponimus, aut objici saltem verisimiliter potest, anticipando diluimus *Voss. lib. 4. part. Orat. cap. 14.* intelligimus. Deinde idem, quod negotium denotat, Germ. ein Geschäft/eine Unnützigkeit / hinc dicitur occupatione detineri. *Cic. ad Attic. it. Occupatus, qui negotio aliquo est detentus. Valla. Elegant. lib. 5. c. 57.* Tandem hoc loco occupatio propriè venit, occupando seu capiendo feras, aves, pisces, hostes &c. de quorum omnium captura & occupatione in specie sequentibus Capp. dicturi erimus.

Th. III. Missa nunc vocabuli ambiguitate ad Synonymiam quoque calamus convertendus est: Sed ne videamur verborum profusi, tenaces autem rerum, paucissimis nos expediemus. Sciendum igitur, quod verbum occupare plurima habeat Synonyma. Occurrunt enim passim apud Authores, ut sunt excipere *Jul. Cas. de Bell. Gall. lib. 8. cap. 6.* Equitum turmas dimittit in omnes partes ad aliquos excipiendos, ex quibus hostium consilia cognosceret. Et *Virgil. Eccl. 3.*

Nonnè ego te vidi Damonis, pessime, caprum  
Excipere insidiis - - - - -

Id est dolo capere, ut Servius interpretatur. Habere.

A 3

Virg.



*Virg. lib. 2. Aeneid.* Hostis habet muros. Invadere, *Salust.* priusquam hostis invaderet. Capere, Captare, hinc captura, exceptio, invasio, &c. Et hæc de definitione nominali, ne frivolis & nudis inhæreamus verbis, dixisse sufficiant.

Th. IV. Progredimur nunc ad occupationis in genere spectatæ definitionem realem, eamque cum *Bernhard. Sutholt. Dissert. 4. aphor. 21.* ita definimus: Occupatio est rei, quæ nullius est, (seu vacuæ) apprehensio, animo domini facta. Cum qua definitione congruit illa, quam habet *Henning. Rennem. Dissp. VIII. th. 12. de Jur. rer.* Occupatio est talis rei cuiusquam apprehensio, quâ dominium illius nobis est acquisitum, quamdiù eam custodiâ nostrâ servatam habemus: & vicissim deperditum, si ex illa sic elapsa sit, ut vel in conspectu non sit amplius nostro, velejus persequendæ & recuperandæ spes nulla amplius supersit. Tamdiu igitur tantum nostra intelligitur, quam diu in custodia nostra servatur; unde si custodiam nostram evaserit, tunc in naturalem libertatem se recepisse censetur, & nostra esse desinit, rursusque fit occupantis, §. 12. 14. 17. *Inst. de rer. divis. l. 3. §. ult. ff. de acquir. rer. dom.* Et huic nostræ assertioni etiam conveniens est, quod tradit *Grotius lib. 2. de Jur. B. & P. cap. 8. n. 3.* inquit: Quare verius est, non per se amitti dominium, eò quod feræ custodiam evaserint, sed ex probabili conjectura, quod ob difficillimam persecutionem eas pro derelictis habere credamur, præsertim cum internosci quæ nostræ fuerint ab aliis non possint.

Th.



Th. V. De rebus autem occupationem recipien-  
tibus hic quæritur, an indifferenter omnes, quæ alias  
nullius sunt, occupari possint? quod negamus & dicimus  
eas tantum occupari posse, quæ ita nullius sunt, ut ta-  
men suâ naturâ alicujus fieri possint. Unde patet, res  
sacras, religiosas & sanctas, utut dicantur nullius, occu-  
pari tamen non posse, quia nullius fieri possunt & divi-  
ni juris sunt. §.7. *Inst. de rer. divis.* hæc autem de occu-  
patione simpliciter sic dicta dixerim. Alia tamen &  
specialis ratio est earum rerum, quæ ab hostibus appre-  
henduntur; hæ enim indistinctæ omnes quin hostibus  
eas apprehendentibus cedant, ob specialem belli sc. ra-  
tionem, nemo dubitat. Cæterum nihil interest, an res  
illæ, quæ Occupationi subjacent, animatæ sint & vi ca-  
pantur, uti sunt (1) feræ bestiæ, pisces, aves, §. 12. *Inst.*  
*de rer. divis.* unde descendit Jus venandi, piscandi, au-  
cupandi: Vel (2) Personæ & res in bello captæ. §. 17. *Inst.*  
*eod.* unde occupatio seu deprædatio bellica: an vero sint  
inanimatæ & sine vi capiantur, ut lapilli, gemmæ & quæ  
sunt aliæ §. 18. *Inst. eod.* Undè inventio dicitur. Neque  
etiam inter mobiles & immobiles hic distinguimus. De  
quibus omnibus & singulis, quid jure naturali, & civili,  
ut & moribus obtineat, infra speciatim monebimus.

## CAPUT SECUNDUM.

### De Occupatione in specie

*nimirum*

#### De Captura s. Venatione.

Th. I.

**I**Taque propriè loquendo Captura seu venatio in gene-  
re considerata est, per quam acquisita animalia jure  
gen-



gentium nostra facimus, sine ullo Juris Civilis titulo *l. 1. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. l. 3. pr. ff. eod.* & pro diversitate Objecti: sive secundum tria diversa animalium genera, quæ scil. in cœlo, terra & mari vivunt *§. 12. Inst. de Rer. divis.* tripliciter erit consideranda: Est autem vel venatio in specie sic dicta, quæ est ferarum bestiarum, vel piscatio, quæ est piscium, vel denique aucupium, quæ est Avium.

Th. II. Antequàm autem Venationem in specie sic dictam aggredimur, meritò præmonendum est, quod harum ferarum bestiarum itidem triplex veniat consideratio. Sunt enim 1. quædam prorsus & omninò feræ, & non nisi vi capiuntur, non nisi vi in custodia retinentur; Quædam 2. suâ naturâ quidem feræ sunt, sed ex consuetudine evolare & revolare solent, vel singulari curâ mansuetæ factæ. *§. 15. Inst. de rer. div.* Vel 3. Quædam naturaliter mansuetæ sunt *§. 16. Inst. eod.* Primò quod attinet eas, quæ naturâ suâ feræ sunt, duplicis iterum sunt generis, ut tradit *Vvesemb. in π. ad ff. ad tit. de acq. rer. dom. n. 7.* Primum genus est earum, quas ob diritatem & perniciem occidi publicè interest, ut sunt Ursi, Leones, Lupi. &c. harum venatio tanquam publicè utilis peculiari lege omnibus permittitur *l. un. pr. C. de Ven. fer. lib. XI. junct. tex. 2. Feud. 27. §. 5. vers. nemo re-tia.* etiam in locis prohibitis, adeò, ut etiam in quibusdam locis præmio ad id invitentur quicumque, ut videre est in *Landrecht. lib. 2. art. 61.* Hinc hodiè Princeps seu Dominus territorii omnibus suis subditis, sine discrimine, uti potest ad persecutionem luporum, aliorumque nocivorum animalium, licet alias servitia venatoria Principi præstare non teneantur, *Præ-Nobiliss. Dn. Bechman. Comment. ad π. Exot. Dissert. 15. n. 25.* Alterum



rum verò genus est earum, quæ non æque noxiæ sunt,  
& serviunt publicæ annonæ Exercitioque & recreationi  
Principum, *Vvesemb. alleg. loc.* & de hoc altero genere,  
cum præcipuè ad hoc caput spectet, mox plura dicemus.  
Secundò illas feras, quæ naturâ suâ feræ sunt, ex consue-  
tudine tamen naturali evolare & revolare solent, tunc de-  
mum venari licet, si revertendi animum habere desie-  
rint; quia enim hoc casu tuæ esse desinunt, fiunt occu-  
pantis, ut docet Imp. Justinianus *in §. 12. Instit. de rer.  
div.* Et hoc procedit, si id ultrò fecerint; Nam si ex al-  
terius insidiis factum fuerit, tantum abest, ut occupan-  
tis fiant, ut etiam is, qui illas sciens capit, furtum com-  
mittat, *Ludov. Comment. ad Inst. §. 12. de rer. divis.  
Schneidov. ad d. §. 12. n. 2.* Tertiò illas feras, quæ natu-  
raliter sunt mansuetæ, & sine vi in custodia nostra domi-  
nioque retinentur, capere non licet, & qui eas lucrandi  
animo detinet, furto adstringitur, *§. 16. Inst. de rer. di-  
vis. l. 5. §. 6. ff. de acq. R. D. Rennem. de Jur. rer. Diss. 8. th.  
22.* ita, ut etiam receptæ à lupis, & his per canes ab alio  
extorsæ nostræ maneat *l. 44. ff. de Acq. rer. dom. Magn.  
Dn. Struv. Ex. 41. th. 8.*

Th. III. Nunc operæ pretium existimamus, ut et-  
iam videamus, quibusnam venari liceat vel non? Et o-  
lim quidem omnibus promiscuè & indefinitè venari  
permissum fuit. *Schneidov. ad §. 12. Inst. de rer. div. n.  
5. & 6.* sive Domini fuerint s. non, *l. 1. §. 1. l. 3. ff. de acq.  
Rer. dom. Borchhold. ad d. §. 12. Inst. de rer. div. n. 2.* licet  
dominus fundi prohibuerit *l. 3. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.*  
hæc enim prohibitione non obstante feræ bestię fiunt  
occupantis *d. l. 3. §. 1. Borchhold. d. l. n. ult. Schneidov. ad  
d. §. 12. n. 7. B. Ungep. Ex. Inst. V. q. 5. in Ajo. ubi latius.  
Ludov. Ex. 4. th. 5. lit. c.* quia prohibitio hæc non ad

B

eum



cum sit effectum facta censetur ne acquiratur, quod occupatum, sed ut ingressus actione injuriarum teneatur, *l. 13. §. ult. ff. de Injur. Magn. Dn. Praeses ad Suth. dissert. 4. aph. 25.* Neque nobis obstat *l. 55. ff. de acq. rer. dom.* Ubi aper in laqueum incidit, quem alter venandi causâ posuerat. Respond. *cum Magn. Dn. Praeside alleg. loc.* quod principalis hujus legis quæstio non sit, an captus aper fiat capientis, nec ne; Sed an, & quâ ratione, qui aprum exemit, conveniri possit.

Th. IV. Utut autem de jure gentium tam in fundo proprio, quam alieno venari, eaque quæ capta sunt, retinere, unicuique concessum sit, per supra alleg. text. tamen mutato rerum ac Rerumpublicarum statu promiscua illa occupandi potestas ob rationes civiles à superioribus rectè interdicta est subditis. *B. Ungep. Ex. V. q. 5. in Nego.* quales Dd. hinc indè varias tradunt. *Vid. Carpz. in prax. crimin. p. 2. quest. 34. n. 12. & seqq.* Et hodiè hoc Jus venandi Jure superioritatis territorialis ad Principes pertinet, & inter regalia refertur. *Magnif. Dn. Strauch. Diss. IV. th. 30. Magnif. Dn. Richt. p. 1. dec. 16. n. 3.* Cum enim hodiè Principes, Comites & alii sint Domini territoriorum, non simpliciter Magistratus, & ipsi Magistratus creare possint, cur in suo quisque territorio jure hoc dominii non utatur? Et quod privatus quoque in suo fundo potest, cur id Magistratus s. Princeps in suo territorio non possit? cum nulla sit gleba in toto illo territorio, quam suam jure territorii dicere non possit, salvo tamen subditis jure privati sui dominii. Non obstat (1) quod Jus divinum, quod Princeps mutare nequit, homini dominationem supra omnia animalia concesserit. *Gen. 1. vers. 26. & 28.* Resp. 1. textus ibi loquitur de eo dominatu, quo homo naturæ suæ præstantiâ uni-  
versa



versa animantia antecellit, ità ut ferocissima etiam be-  
stia hominem expavescere, & ceu dominum suum reve-  
reri necesse habeat, ut patet *ex Gen. 9. vers. 2. Add. Har-  
precht. ad §. 12. Inst. de R. D. n. 94.* Resp. 2. Dedit ibi  
Deus homini potestatem supra omnia animalia in gene-  
re, non in individuo huic vel illi, cum multi vix tantum in  
hoc mundo possideant, ubi caput reponant. *Gryph. Oe-  
con. Leg. lib. 1. c. 18. n. 11.* Et ut distinctio dominiorum  
indefinitam permissionem restringit ad homines cer-  
tos; ità distinctio ordinum in Republ. restringere etiam  
potuit Jus venandi indefinitum ad certos quosdam ho-  
mines. Nec obstat (2) quod Jus naturale sit immutabi-  
le. Resp. Concedendo Jus naturale quatenus honesta  
præcipit & inhonesta prohibet immutabile esse: qua-  
tenus tamen aliquid determinatè neque præcipit, neq;  
prohibet, mutari posse patet *ex l. 4. ff. de Just. & Jur. §. 2.  
vers. bella etenim &c. Inst. de Jur. Nat. Gent. & Civ. Grot.  
l. 2. c. 2. n. 5.* permittit enim aliquid hominum arbitrio &  
potestati, & ita aliquantillum tantum facit recessum, ne  
sc. omnes homines venentur: Quod etiam exindè vide-  
re est, quia privati non prorsus ab omni venatione ex-  
cluduntur; eam enim à superioribus per Contractum,  
Privilegium, Investituram, Consuetudinem vel Præscri-  
ptionem acquirere possunt, uti testatur *Treutl. Vol. 2.  
Disp. 20. th. 3.*

Th. V. Cum autem de personis venationem ex-  
ercentibus sermo fuerit institutus, congruè hoc loco  
quæri potest: An etiam Clericis, Monachis, aliisque  
personis religiosis venationis exercitium sit permissum?  
Quod negamus, quia nullis negotiis secularibus se im-  
miscere debent *per c. 1. x. Ne Cler. vel Monach. secul. neg.  
c. 2. x. de Cler. venat. B. Dn. Ungep. Comment. in lib. V. De-*



*cret. tit. 24. n. 2. & 3.* Ubi varias hujus interdicti rationes refert, quibus præprimis addi potest, ne sc. Clerici hoc studio à sacris abstrahantur *Speckhan. illustr. quest. cent. 2. class. 1. quest. 2. n. 16.* Hoc autem intelligendum est de minoribus, non majoribus. Episcopi enim, Abbates & Prælati, qui singularibus Privilegiis venandi facultatem obtinuerunt, quin venari possint, certum est, cum non tam ex persona Clericorum, quam Principum æstimentur, præsertim cum ipsis quoque exceptio profit, si id recreationis causâ fiat. *Vid. Gryph. Oecon. leg. lib. 1. cap. 18. n. 58.*

Th. VI. Principes autem seu superiores, ad quos Jus venandi pertinet, ut supra diximus, operam dare debent, ne feræ subditorum agros depascant, & si hoc fit, tunc damnum illis resarcire debent, quod naturali æquitati conveniens dicit *Gail. 2. obs 68. n. 10.* Hinc etiam est, quod fructibus adhuc stantibus ac pendentibus rusticis singulari Mauriti Elect. Constitutione concessum sit, latratores canes, minores tamen, qui feras lædere nequeunt, alere, ut eas abigere possint, daß Sie mit kleinen Hunden; die nicht Jagt-Hunde seyn/ das Wildpret abschueen mögen. *LandsD. Tit. Von Abscheuung des Wildprets vom Getreyde.*

Th. VII. Sicuti autem Jurisdictio hodiè dividitur in superiorem & inferiorem, seu, ut Saxo loquitur, in altam & bassam. *Nobiliss. Dn. Bechm. Exot. Diss. 6. n. 28.* Ita etiam Venatio, quæ sæpius Jurisdictioni adhæret, dividi solet in superiorem & inferiorem die Jagt des hohen und kleinen Wildprets. Illius generis sunt cervi & apri; hujus sunt lepores, vulpes, quæ singulæ ferè feræ singularem venationis speciem hodiè constituunt *Schwein-Jagt/ Hirsch-Jagt/ Hasen-Jagt/ Fuchs-Jagt.*  
Una



Una tamen harum concessa, non videtur altera quoque concessa, quia ex diversis malè infertur, ut dicit *Gail. de Pignor. obs. ult. circa fin.* Et licet alicui Venatio simpliciter fuerit concessa, attamen hoc tantum de minori, non itidem de majori intelligendum est. *Nobiliss. Dn. Bechm. Exot. Diss. 15. n. 24. Magnif. Dn. Richt. p. 1. dec. 16. n. 4. B. Carpz. p. 3. C. 32. D. 17. n. 14.* Licet ex Juris civilis fundamentis fortassis aliud defendi possit, quia hac in re magis experientia & observantia, quàm Juris civilis dispositio attendi debet, testante *Carpz. d. l. n. 16.*

Th. VIII. Cum autem de Jure gentium non tantum in fundo proprio, sed etiam in fundo alieno venari sit permissum, non immeritò quæri potest: An hodiè feram in suo vel alio territorio, in quo habet quis Jus venandi, vulneratam, in alterius territorio persequi liceat? Quod affirm. Licet enim quis venandi causâ alterius fundum ingredi prohibeatur. *l. 3. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* hoc tamen saltem intelligendum est de eo casu, quo quis in alterius fundo vult venari, & ità feras, quæ in illo sunt alteri præoccupare, quod etiam Jure Sax. est prohibitum sub pœnâ 100. fl. *Weichbild* sub tit. *Dasß man auff andern Güttern nicht jagen / oder ander Weidwerck treiben sol.* Licet longo tempore hoc jure usus fuerit, nisi temporis immemorialis præscriptione, quæ tam de jure civili, quàm Saxon. attenditur, illud acquisiverit, *Magnif. Dn. Richt. p. 1. Dec. 16. n. 3.* Secus autem est, si quis feram in suo fundo, vel ubi habet Jus venandi vulneret, tunc enim eam fugientem etiam in alieno territorio persequi licet, sine tamen inflatu corniculi venatorii & canum incitatione *per text. in LandR. lib. 2. art. 61. ibi: Jagt ein Mann ein Wild auffser dem Forst / und folgen ihm die Hunde in den andern Forst / er mag wol jagen /*



also/ daß er nicht blase/ noch die Hunde anbehe/ und mißthut  
daran nicht/ ob er das Wild fahet/ seinen Hunden mag er  
wohl wiederruffen. Neque hoc casu concessa est pigno-  
ratio, quod testatur *Vvesenb. in gl. ad Schneidvv. Inst. de  
rer. divis. §. fera. n. 4. lit. a.* Et hoc ita observatur, licet  
bestia illa fera non sit vulnerata, sed tantum in suo fundo  
visa atque inventa, wenn es in eigenem Gehäge auffstößt.  
*Schneidvv. ad §. fera. Inst. de rer. divis. n. 4.* Nihil autem  
Dominus Sylvæ potest facere in Sylva venatoria, quo il-  
le, qui habet Jus venandi, venari impediatur: Sic non  
potest arbores cumulatim excindere, multò minùs, ar-  
borum radicibus excisis novalem agrum facere *arg. l. 13.  
§. 1. ff. de Servit. Præd. Rust. Gail. lib. 2. obs. 67. n. 5. & 6.*

Th. IX. Hisce itaque perspectis nunc etiam vi-  
debimus, quænam pœna in eos sit statuta, qui contra in-  
terdictum Principis agunt, & an capitali pœnâ affici pos-  
sint? Negant Dd. communiter, ex hâc potissimum ratio-  
ne, quia inter delictum & pœnam semper esse debet pro-  
portio *l. 11. ff. de pœn.* Inter capturam autem feræ bestię  
& vitam hominis nulla esse videtur. *Franzk. Exerc. 4.  
q. 3. n. 2.* Neque etiam pœna arbitraria ad mortem usq;  
regulariter debet extendi, ut docet *B. Carpzov. p. 4. C. 25.  
d. 1. n. 10.* Nihilominus tamen, si graves circumstantiæ  
concurrant ultimo supplicio delinquens afficiendus est,  
uti colligit *Schultz. Synops. Inst. ad tit. de rer. divis. lit. H.  
circa fin.* ubi dicit, Liplienses olim eo in casu, quo  
pœna capitalis in Edicto prohibitorio statuta erat, pœ-  
nam laquei dictasse. Et hanc pœnam locum habere in  
iis tantum, qui feras majores capiunt in banno ferino  
Electoralis Saxon. im hohen Wildbann/ testatur *Nobiliss. Dn.  
Bechm. Comment. ad ff. Exot. diff. 15. n. 11.*

Th. X. Pergimus nunc ad alteram venationis in  
ge-



genere sic dictæ speciem, nim. piscationem, quæ est occupatio s. captura piscium, jure gentium cuilibet permessa, non solum in mari & fluminibus §. 2. s. *Inst. de R. D.* sed etiam in stagno alieno l. 3. §. 14. ff. *de acquir. vel amitt. possess.* Ludov. *ad Inst. Exerc. 4. th. 5. lit. C.* Ex hæc autem piscationis descriptione satis, ut mihi videtur, abundat, Jus piscandi, quoad Jus gentium & civile, imò etiam mores hodiernos plurima habere communia cum jure venationis, paucis exceptis: cum hodiè jus piscandi eadem ex ratione, quâ jus venandi, Principes regalibus suis adscribant *per text. 2. Feud. 56. vid. Dn. Struv. Syntagm. Jur. Feud. cap. VI. aph. 7. n. 3.* Ideoque ne nimis longiores simus, hæc vice tantum, quid in specie circa piscationem observandum, videbimus.

Th. XI. Diximus autem in *th. antecedente* s. quod venatio Clericis non sit licita, hinc quoniam Dd. communiter sentiunt, ab harum specierum unâ ad alteram argumentum validè duci posse, exinde facilè quis colligere posset, illis etiam piscationem interdictam esse: quod tamen negamus, cum tale argumentum cæteris paribus locum habere possit, adeoque dicimus, piscationem illis indistinctè esse concessam *per c. Esau dist. 86.* Ratio autem diversitatis inter alias hæc dari posset, quod piscatio magis licita & minus odiosa, nec ita lucrosa, voluptuosa, imò nec tam sumtuosa sit, quàm venatio *B. Ungep. lib. 5. Decret. tit. de Cler. venat. n. 3.* Venator enim non exiguos sumtus in canes, qui animata venationis sunt instrumenta, impendere cogitur; Meliùs itaque est, ut Clerici monitum Christi sequantur, & hisce sumtibus pauperes alant.

Th. XII. Circa jus piscandi in flumine, quaritur, si Princeps flumen aliquod jure proprio possidens alteri  
in



in feudum concedat, an illi etiam jus piscandi & pisces ipsos, qui in flumine sunt, concessisse intelligatur? Quod affirmandum putaverim; sicut enim saltu per usumfructum alicui dato, intelligitur quoque jus venandi concessum. *l. 62. ff. de usufr.* ita constituto alicui fluminis usufructu, censetur eidem etiam concessum jus piscationis, quia pisces fluminis sunt fructus fluminis *l. 9. §. 5. ff. de usufr. l. 20. ff. de usur. ibiq. Gothofr. in not. Add. Carpz. p. 3. C. 32. d. 9. & 17. n. 3. ibiq. alleg. Modest. Pist. p. 1. quest. 15. n. 10.* Nunc autem fructus rei ad Vasallum pertinere patet *ex 2. Feud. 23. §. ult.* Ergò etiam pisces per jura allegata.

Th. XIII. De piscibus autem fructificationis causa stagno immixtis, cuinam defuncto Vasallo cedant, ulterius quæritur? Nos dicimus, quod quia in Jure Feudali de hoc casu nihil expressum sit, juris civilis dispositioni, quæ est in *l. fructus 7. §. divortio facto & seqq. ff. solut. matrim.* standum, & ita pisces pro rata temporis, quo jus possessoris constitit inter hæredes & novum possessorem dividendos esse. Jure verò Sax. distinguitur, aut tempus mortis possessoris injectioni piscium in stagnum, aut piscationi est propinquius. Priori casu unà cum stagno ad novum possessorem pertinent; posteriori verò casu defuncti Vasalli hæredibus allodialibus cedunt; Tempus autem illud est triennium, quo elapso plerumque fructus hi percipiuntur. *Magnif. Dn. Richt. p. 1. dec. 56. n. 8. Carpz. p. 3. C. 32. d. 26. 27. & secundum hanc opinionem, quæ inveteratâ consuetudine in his terris recepta est, etiam in aliis, ubi jus commune feudorum obtinet, respondendum esse refert ex Hartm. Pistor. Berlich. p. 3. concl. 45. n. 25. circa fin.*

Th. XIV. In piscinis autem nemini piscari licet;  
cum



eum hi pisces eodem jure, quo feræ bestia in therio-  
trophiiis possideantur. l. 3. §. 14. ff. de acquir. vel amitt.  
possess. Grot. l. 2. c. 8. n. 2. ex qua possessione dominium il-  
lorum fluit acquisitum. Hinc est, quod ex Constit. Ca-  
rol. V. qui in alienis stagnis, piscinis seu vivariis pisces  
capit, perindè ut alius fur, quatenus furtum 5. solidos  
excedit relegatione vel fustigatione, vel etiam secun-  
dum qualitatem & gravitatem delicti laqueo puniatur.  
*Vid. d. Constit. Carol. art. 169. ibi: Welcher aus Beyhern  
oder Behältnissen Fische stiehl/ ist auch einem Diebe gleich zu  
straffen: Sed qui in rivis, aquis vel fluminibus non in-  
clusis piscatur, inspectâ personæ conditione & facti qua-  
litate arbitrariè tantum puniatur, uti habetur in alleg.  
Const. in verb. So aber einer aus einem fliessenden unge-  
fangenen Wasser Fische finge / der ist an seinem Leibe oder  
Gutt nach Gelegenheit des Fischens / der Person / und Sa-  
chen/nach Rath der Rechts-Verständigen zu straffen. Jure  
verò Saxon. ad æstimationem piscium captorum tenetur,  
& pro pœna 3. solidos solvendo liberatur, LandR. lib. 2.  
art. 28. ibiq. gloss. Et hoc non tantum de piscibus intelli-  
gendum est, sed etiam ad cancras extenditur, inde Jus  
Saxon. tales cancrorum fures singulari pœnâ Fratto di  
Corda dicta coërcet, ut testatur Dn. Philipp. in usu pract.  
Inst. lib. 2. Ecclog. 1. n. 11. ubi h. m. Scabinos Lipsienses  
respondisse scribit: Hat B. Z. als er vermöge unsers ge-  
sprochenen Urthels dem Scharffrichter auff gewisse Masse  
übergeben worden/ gestanden/ und bekant/ daß er in die drey  
Jahr lang in des Herrn Graffen/ und euer gehegten Fisch-  
bach/neben andern seinen Gesellen gekrebsset/möchte wohl mit  
einander in die 13. mahl geschehen seyn/ und sie ohngefehr in  
eurem Bache ein 10. oder 11. Schock/ in des Herrn Graffen  
Bache aber ein Schock Krefse oder 6. mit einander gefan-  
gen*

C

gen





gen haben etc. So wird Inquisit solcher seiner Verbrechen wegen mit der Fratto di Corda auff zwo Springe gestrafft/ und darauff des Landes ewig verwiesen. V. X. W.

Th. XV. Circa tertiam Occupationis speciem, nim. Jus aucupii, cum itidem multa cum antecedentibus, præprimis autem cum Venatione habeat communia, pauca erunt annotanda. Dicitur autem aucupium, & est Occupatio s. captura Volucrum sive volatilium & in aëre liberè vagantium itidem jure gentium nemini denegata. §. 12. *Inst. de R. D. arg. l. 3. §. 15. de acquir. vel amitt. possess.* Cæterum quod jam præliminariter monuimus, venationis & aucupii jura invicem esse exæquata, ex eo potest generaliter probari, quia aucupium plerumque Venationi cohæret, der Vogel / Heerd ist der Wildbahn anhängig in specie verò ex seqq. facilè constat. Sicuti enim venatio se se habet ratione objecti, ita etiam aucupium considerari & dividi potest. Sunt enim aves aliæ majores, aliæ minores. Inter majores numerantur Phasanen / Krambsvögel / Ambfeln / Drosfeln etc. inter minores referuntur Lerchen / Fincken / Zeissig etc. undè etiam dicitur das Weidwerk grosser und kleiner Vögel / de quibus *vid. VVehner. in voc. Vogel.* Sciendum autem, quod itidem hic tantum agatur de avibus feram naturam habentibus, non de domesticis, neque etiam de iis, quæ evolare & revolare solent; hæ enim, ut in materia venationis diximus, quamdiu animum revertendi habent, capi non possunt. Undè si quis falconem, vel accipitrem compeditos ceperit, wenn er gefässelt ist / furtum committit *arg. l. 37. ff. de furt. Gloss. in Weichbild. art. 118. n. 7.* Insuper notandum, quod in benè constitutis Rebuspubl. ut & Jure Saxon. non omni tempore captura avium concedatur, sed per certum anni tempus  
fit



fit prohibita LandsOrd. vom Vogelfahen ibi: Es soll auch  
hinsüro von Fastnacht an bis auff Johannis Baptistæ keiner  
Vogel fangen / sondern sich des bis an dieselbige Zeit ent-  
halten.

Th. XVI. Tandem lubet addere, quod apes, qua-  
rum fera est natura §.14. *Inst. de rer. divis. ibiq. Schneidvv.*  
*n. 3.* priusquam ab aliquo in alveum claudantur, ei ce-  
dant, qui primò eas clauserit. *d. §.* & si postea quis eas  
fraudulosè & lucrandi animo contrectaverit, furtum  
committat *l. 8. §. 1. vers. idem ff. Famil. erisc.* Si autem evo-  
laverint, eo usque nostræ intelliguntur, donec in con-  
spectu nostro sunt, nec difficilis sit earum persecutio,  
nec Dominus eas evolare videns, easque prosequens  
amittit. Jure verò Sax. Examen apium ad vicinum e-  
volans vicino acquiritur *per text. Weichbild. art. 119. ibi:*  
*Fleugt ein Bienen Schwarm aus eines Mannes Haus oder*  
*Hoff zu seinem Nachbar / er ist dem Schwarm näher zu be-*  
*halten / als jener der ihm nachfolget ; denn die Biene ist ein*  
*wilder Wurm. Add. Schneidvv. ad §. 14. Inst. de R. D. n. 6.*  
*Carpz. p. 4. C. 36. D. 4. n. 6.* ubi tamen in fine admonet, quod  
hoc in casu unius cujusque loci consuetudo benè atten-  
denda sit.

## CAPUT TERTIUM De Occupatione Violenta.

*sen*  
Deprædatione bellica.

Th. I.

**V**Enimus jam ad occupationem hostilem s. Depræda-  
tionem bellicam, eamq; consideraturi dicimus esse  
talem, quâ res & personæ hostium in bello sc. legitimo

C 2

funt



funt capientium per l. 5. §. f. junct. l. 7. pr. ff. de A. R. D. Magnif. Dn. Struv. Ex. 41. th. 18. Ut autem bellum sit legitimum, non tam ex causa, quæ quidem debet esse iusta, quàm ex indictione belli s. clarigatione colligitur. Grot. de J. B. & P. lib. 3. c. 3. n. 5. undè hâc omisâ solennitate non bellum legitimum, sed latrocinium & depredatio dici potest, uti patet ex l. 24. ff. de capt. & postlim. revers. l. 114. ff. de V. S. Hæc autem belli indictio olim ante legem Regiam latam populo Romano competebat, postquàm verò L. Regiâ populus Romanus omnem suam potestatem concessit Principi l. 1. ff. de Const. Princip. §. 6. Inst. de J. N. G. & C. hoc jus indicendi bellum Imperatori competere cœpit, cui belli & pacis arbitrium est relictum l. 3. ff. ad L. Jul. Maj. c. quid culpatur q. 1. c. 23. Gail. lib. 2. obs. 57. n. 1. undè etiam hodiè in Imperio nostro Romano-Germanico Jus indicendi bellum Imperatori unâ cum Electoribus ob ex pacta conventionne communicatam potestatem competit, & si quisquam propria autoritate alteri armata manu vim infert, vel arma sumit offendendi gratiâ, pœnam fractæ pacis publicæ incurrit. Rûmelin. ad A. B. p. 3. Diss. 3. th. 20. Gail. lib. de P. P. c. 4. n. 9. Schulz. Synops. Inst. ad Tit. de R. D. lit. 2.

Th. II. Bello itaque legitimè & secundum ductum Juris gentium indicto, non tantùm res, sed etiam personæ singulares, non verò civitates s. universitates fiunt capientium, & liberi homines ab hostibus capti etiam adhuc hodiè efficiuntur servi, si bellum cum Barbaris, v. g. Turcis, Saracenis &c. geratur. Schneidvv. ad §. item ea. Inst. de R. D. n. 2. Secus autem est, si inter Christianos bellum sit exortum, tunc liberi homines, qui in eo capiuntur, fiunt quidem capientium, non tamen



men servi, qui ita vendi, vel ad operas urgeri possint, vel alia, quæ servorum sunt, pati cogantur; sed præstita in redemptionis præmium pecuniâ, quam Græci *λύτρον* vocant, veniam recedendi impetrant. *Vid. Schulz. Synops. Inst. ad Tit. de Jure person. lit. a.* Ubi tamen notandum, quod non indistinctè omnes personæ fiant capientium, sed tantùm humiliores, uti videre est *Reuterbestallung zu Speyer de Anno 1570. art. 94.* ibi: Wenn sich auch zutrüge/ oder begeben/ daß durch Hülffe des Allmächtigen/ der Feind- Feld- Obristen/ oder Feld Hauptleuthe/ durch die Reuter gefangen würden/ sollen dieselben Personen zu uns oder unserm Obristen/ oder der jenigen Händen/ der des Befehl haben würde/ gegen statlicher und billicher Verehrung gestellet werden. *Et art. 95.* Wo aber auffer dergleichen *z.* uti videri potest apud *Magnif. Dn. Struv. Ex. XLI. th. 18.*

Th. III. Res autem quod attinet, hæc quidem omnes nullâ adhibitâ ratione quod sacræ sint, vel religiosæ (quia tunc desinunt tales esse *l. 36. ff. de religios. & sumtib. fun.*) si mobiles sunt, & à singulis capi & retineri possunt, singulis capientibus cedunt *l. 5. §. f. ff. de A. R. D. §. 17. Inst. de R. D. Magnif. Dn. Struv. Ex. XLI. th. 18.* itâ, ut nullo modo ab antiquis Dominis absque pretio vendicari possint, cum capientes earum plenum & irrevocabile acquisiverint Dominium; cessante autem causâ quæ est Dominium, cessat quoque effectus juris qui est Rei Vindicatio, *arg. l. 23. pr. ff. de R. V.* Cui etiam congruit Jus Sax. ob textus generalitatem in *Weichbild. art. 2. ibiq. gloss.* Was ich meinem rechten Feinde nehme/ oder in einem Kriege gewinne/ das ist mein. *Schneidvv. ad §. item ea. Inst. de R. D. n. 2.* quem textum de rebus mobilibus intelligendum esse tradit *Carpz. p. 4. C. 35. D. 8. n. 6.* Et hoc quidem fit propterea, ut milites aliàs periclitantes



spe prædæ futuræ eò alacriores reddantur & animo fortiori hostem aggrediantur. Res tamen illæ non aliter illis conceduntur, quam si durante adhuc bello & hostibus nondum devictis captæ fuerint, ut latius hoc probat *B. Ungep. Exercit. Justin. V. quest. 6. in A.* Secus autem est in illis rebus, quæ devictis aut expulsis jam hostibus capiuntur, & post prohibitam deprædationem superstites sunt, vel etiam iis, quæ ad munitiones, armaturas, apparatus bellicos vel commeatus & annonas militares pertinent: Hæ enim non militibus, sed Reipubl. seu Principi, cujus indultu & auspiciis bellum geritur, acquiruntur. Hic enim bellum gerit, & huic milites operam suam navant, non sibi. Hic igitur illud, quod sic occupatur, sub suo ductu à militibus suis, ipse cepisse & occupasse censetur *l. 20. §. 1. ff. de captiv. & postlim. revers. l. 31. ff. d. Jur. fisci.* In arbitrio tamen Principis est, an prædam sibi servare, an vero illam vel totam, vel ejus partem aliquam pro merito cujusque & suo arbitrio dividere velit. *l. 36. §. 1. C. de Donat. Rennem. de Jur. rer. Disput. VIII. th. 7. lit. d.*

Th. IV. Quæ vero res hostium non sunt, etsi apud hostem reperiantur, capientium non fiunt, quod Juri Nat. & Gent. congruit, ideoque à quocunque vindicari possunt. Sed si quid tamen hostis in illis rebus jus habuit, quod possessioni connectatur, puta pignoris, retentionis &c. tunc nihil obstat, quò minus capientibus acquirantur, *Grot. de Jur. B. & P. lib. 3. c. 6. n. 5.* v. g. si res aliqua esset oppignorata, & ab hostibus in urbis direptione surrepta, tunc illa res fit occupantis: habet enim possessor illius pignoris jus aliquod nimirum crediti in illa & ex eo occupanti acquiritur. Sed cum pignus ipsius creditoris gratiâ & potissimum in securitatem crediti con-

sti-



stituat<sup>r</sup> §. ult. *Inst. quib. mod. re. contrah. Obl.* Ideò hãc occasione quæri potest, an creditor, qui tali casu pignus amittit, etiam creditum suum amittat propter quod pignus fuit constitutum? Nos communem Dd. opinionem sequentes dicimus, quod non, quia vim majorem, & casum fortuitum creditor præstare non tenetur *l. 6. C. de pign. act.* Et pignus manet in bonis debitoris; ideoque etiam periculo ejus perit *l. 5. l. 9. C. eod. Add. Zobel. p. 2. differ. 32. n. 5.* idem etiam post sublatam veteris Juris Sax. dispositionem Jure nov. Sax. *per Const. 26. p. 2.* obtinet. *Addatur Schneidov. ad §. ult. Inst. quib. mod. re. contr. obl. n. ult. ibiq. VVesemb. Carpz. p. 2. C. 26. def. 1.* Sed hæc obiter.

Th. V. De rebus mobilibus, quomodò & quâ ratione illæ occupantibus concedantur, in antecedentibus diximus. De immobilibus autem sciendum, quod hæc omnes indistinctæ Reipubl. seu Principi, cujus intuitu bellum est susceptū, acquirantur *per. l. 20. §. 1. ff. de captiv. & postlim. revers. B. Carpzov. p. 4. Consil. 35. Def. 8. num. 3.* id quod etiam clarè videri potest ex Reuterbestallung zu Speyer *de A. 1570. art. 96.* Ibi: *da auch Stätte / Schlösser / Flecken / Land und Leute erobert würden / sollen dieselben sampt dem dazu gehörigen Geschütz / Munition und dem Vorrath vom Proviant in alle Wege uns und dem Heil. Römischen Reiche zustehen / folgen und bleiben.*

Th. VI. Sed hæc omnia, ut antea diximus, de bello cum exteris legitimè inito intelligenda sunt. Undè quæ latrociniiis acquiruntur, latronibus non cedunt, & ab his liber homo captus non fit servus, neque unquam fingitur, & exindè illi postliminii jus, quò alias capti in bello legitimo gaudent, non est necessarium, *l. 24. ff. de capt. & postlim. revers.* Sic etiam quæ in dissensionibus

ci.



civilibus hinc indè rapiuntur, non fiunt capientium, & liber homo in his captus & venundatus, non habet opus à Principe ingenuitate, quia nunquam eam amittit, sed ipso jure liber manet, uti patet *ex l. 21. §. 1. ff. de captiv. & postlim. revers.* Neque etiam bona mobilia, quæ in viis publicis, urbibus ac pagis privato ausu à militibus surripiuntur, capientibus cedunt, quia non hostibus, sed incolis & subditis sunt surrepta, qui magis tueri debent, quàm spoliari, & sic tales milites non hostes, sed prædones dici merentur, poenamque latronibus statutam non effugiunt *B. Carpz. p. 4. C. 35. def. 8. n. 11.*

Th. VII. Utut autem quisquis non tantum de Jur. Civ. per *l. 23. C. de R. V. l. 2. C. de furt.* & Jure Canon. *c. ea enim. C. 10. q. 2.* Sed etiam Jur. novo Imperii Reichs-Abschied zu Augspurg *d. A. 1559.* rem sibi ablatam sine refusione pretii à quocunque possessore vindicare potest, *Magnif. Dn. Richter. p. 2. dec. 96. n. 5. & seqq.* Atamen si hoc in casu bona mobilia fuerint surrepta, & aliis vendita, eatenus dominium eorum probantibus restituenda sunt, quatenus ab antiquis dominis pretium exsolutum illis refunditur, cum aliàs milites, si emtorem non invenissent, ea exportassent, idcirco, si ablata hoc casu vicissim ab hostibus redempta sint, illis refusio pretii non denegari potest. *arg. l. 44. ff. de acquir. rer. dom. l. 6. ff. de capt. & postlim. revers. ibiq. Gothofred. in notis. lit. e. Add. Carpzov. p. 4. C. 35. def. 8.* Quæ autem ab hostibus capiuntur, & in fuga statim recuperantur, sine ulla refusione pretii restitui debent. *arg. l. 8. §. fin. ff. famil. ercisc. add. B. Carpz. all. loc. def. 9. n. 5.*

Th. VIII. Cum autem hoc jure belli omnia ferè sint licita, quæ in hostem perpetrantur, ut etiam hostem statim & impunè occidere liceat, hâc occasione quæri potest



potest, an etiam stupra in foeminas & virgines hoc jure belli sint permiffa? & hæc jure belli permiffa & impermiffa dicit *Grotius de jur. bell. & pac. l. 3. c. 4. n. 19.* ubi tamen in fequentibus mitiorem amplectens fententiam, dicit, hoc Jure Gentium non omnium, fed meliorum & rectè effe prohibitum, cum non folùm injuriam hic effe confiderandam, fed ipfam quoque efferatæ libidinis actum, qui neque ad fecuritatem neque ad pœnam pertinet, & proindè neque pacis, neque belli tempore impunitus effe debeat. Quod ut inter Chriftianos bellum gerentes non tantùm ut pars difciplinæ militaris, fed etiam ut pars Juris Gentium fcil. meliorum æquè obfervetur, laudabile & rationi naturali legique divinæ conveniens effe, ut colligi licet ex *Deut. c. 21. v. 10. & feqq.* Ideoque militibus tale horrendum atque abominandum crimen prohibendum effe, cum aliàs pudicitia fit res inæftimabilis imò irreparabilis, quæ neque ab ipfo Deo (nifi per abfolutam fuam poteftatem) reftaurari poteft, uti ex Hieronymo probat *Magnif. Dn. Richter. de adverb. signif. adverb. corruptè. p. m. 176.*

## CAPUT QUARTUM ET ULTIMUM De inventione.

Th. I.

**U**Ltima nunc fequitur occupationis fpecies, nimirùm inventio, & effe rerum inanimatarum mobilium, quæ naturâ nullius funt, occupatio, quæ ratione objecti generalior & amplior, quàm venatio: Effe enim occupatio rerum, quæ nullius funt, non tantùm naturâ ut venatio, fed etiam earum rerum, quæ factò & tempore nullius funt, uti Dd. loquuntur. Quod attinet (I.) illas, quæ na-

D

turâ



tura nullius sunt, & statim inventori acquiruntur, hæ sunt communes inanimatae ut gemmae, lapilli, & cætera, quæ in littore maris vel flumine publico inveniuntur §. 2. 18. *Inst. de rer. divis. l. 1. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. possess.* quo etiam refertur insula in mari nata. §. 22. *Inst. de rer. divis. Magnif. Dn. Struv. Exerc. XLI. th. 29.* (II.) Facto nullius esse dicuntur, quæ pro derelicto habentur; cum enim dominus eâ mente eas abjecerit, ut in numero rerum suarum amplius esse nolit, statim earum dominus esse desinit. §. 47. *Inst. de R. D.* ideò facto nullius esse censentur, & cuilibet occupanti cedunt. Aliter sentiendum est de iis rebus, quas quis casu amisit, vel imminente naufragii periculo navis levandæ causâ projecit; hæ enim, cum nullus derelinquendi animus adsit, non fiunt Inventoris, sed Domino earum dominium probanti sunt restituendæ. (III.) Tempore nullius dicitur Thesaurus, de quibus omnibus & singulis uberio-rem explicationem mox subjicimus.

Th. II. Hæ itaque res, quæ in littore maris vel in fluminibus publicis, maximè nobilioribus, aurum & gemmas proferentibus, de quibus Lansius *in Orat. pro Hispan. pag. 212.* inveniuntur, non statim Inventoris lucro cedunt, si eas viderit, sed insuper opus est apprehensione & naturali possessione, nec res dicitur inventa, nisi apprehensa sit, l. 3. §. 3. *ff. de acquir. vel amitt. possess.* Undè si duorum in littore maris deambulantium gemmam alter præviderit, alter prius apprehenderit, hujus erit, qui eam prius apprehendit, & ita ejus possessionem nactus est, uti loquitur J. C. Paulus *in l. 1. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. possess. Magnif. Dn. Strauch. Dissert. 6. th. 32.* Distinctio autem, quâ gemmae à lapillis distinguuntur, quod scilicet sint perlucidæ materiae, ut  
Sma-



Smaragdi, Chrisolithi, Amethusti; Lapilli verò contrariæ superioribus naturæ, ut obsiani, venienthani *l. 19. §. 17. ff. de Aur. & Argent. Legat.* hic nihil importat.

Th. III. Hæc autem omnia jure naturali & gentium omnibus, sicut jus venandi, piscandi &c. fuerunt licita, ut patet ex supra allegg. text. & si quis horum aliquid invenerit, apprehendendo suum effecit. Hodie tamen planè immutatum est, & Principes ad augendum fiscum, qui communem utilitatem respicit, ex plenitudine potestatis sibi adscripserunt, cujus rei rationem elegantem tradit *Grotius de Jure B. & P. lib. 2. c. 8. n. 5.* inquiens: *Falluntur Jcti, qui hæc ita putant, naturalia ut mutari nequeant. Sunt enim naturalia non simpliciter, sed quod certo rerum statu, id est, si aliter cautum non sit; Germania autem populi, cum Principibus & regibus bona quadam essent assignanda, unde dignitatem suam sustinerent, sapienter existimarunt, ab illis rebus incipiendum, quæ sine damno cujusquam tribui possunt, cujusmodi sunt res omnes, quæ in dominium nullius pervenerunt.* Hæc ille. Itaque rectè hæc hodiè ad bona imperii seu Principum propria ac regalia referuntur. *Magnif. Dn. Struv. Synt. Jur. Feud. cap. 6. aphor. 7.* Sic etiam constitutum est in *Preussischen Landrecht, Lib. 3. tit. 1. art. 3. §. 3.* Ibi: *Ausserhalb des Börnsteins / welchen an den Gestaden des Meeres auffzulesen Jedermann bey höchster Straff in unserm Herzogthum Preussen verbothen.* *Magnif. Dn. Struv. Exerc. 41. th. 22.* Eadem ratione hodiè Metallifodinæ è dominio privatorum ad Principes transierunt & factum est hoc jus regale, *c. un. 2. Feud. 56.* ubi argentariæ per argentifodinas explicantur. *Vid. de Metallis latiùs Gryphiand. Oeconom. Leg. lib. 1. c. 20. n. 32. & multis seqq.*



Th. IV. Sequuntur nunc res, quæ factò nullius sunt, & pro derelicto habentur. Has autem, si Dominus eâ mente abjecerit, ut in numero rerum suarum amplius esse nolit, eo ipso, quia Dominus earum esse desinit, statim fiunt occupantis. §. 47. *Inst. de rer. divis. l. 1. l. 5. §. 1. ff. pro derel. Schneidovv. ad d. §.* & sufficit etiam, iusta præsumptio ad id cognoscendum, num velit Dominus, an nolit, *arg. l. 5. ff. pro derel.* Nec interest, an in fundo proprio, an alieno quis eas invenerit & apprehenderit; Ea propter si quis in domo alterius rem pro derelicto habitam realiter apprehenderit, tunc domino illius domus ob præventionem in occupatione & domini acquisitione præfertur, quod ipsum occupationis vocabulum satis innuit. §. 12. *Inst. de rer. divis. l. 1. ff. pro derel. Carpz. p. 3. C. 31. d. 17. n. 6.* Neque secundum communem Dd. opinionem furtum committit, qui rem in alterius domo insciente Domino pro derelicto habitam aufert, etiamsi animum habeat furandi, *per l. 43. §. 5. ff. de furt.* Hinc Scabini Lipsienses in causa Sebast. Spans/ M. Febr. An. 1633. ita pronunciarunt P. P. *Dieweil aber dennoch der Pfarrherr von solchem Pferde / so in seinem Hause gestanden / und von des Feindes Volck darinnen hinterlassen worden / nichts gewust / des Bauren Sohn aber dasselbe zum ersten in des Pfarrrens Haus angetroffen / occupiret und in seine Gewehr genommen. So verbleibt es ihm eigenthümlich billig / und der Pfarrherr hat sich dawider mit seinen Einwenden beständiger Weise nicht zu behelffen. W. R. W.*

Th. V. Non autem pro derelicto habentur res, quæ casu amittuntur, ut v. c. de rhedâ currente cadentes, vel alio modo dominis non intelligentibus amissæ, hæ enim verò domino sunt restituendæ, quia nullus hic  
adest



adest animus derelinquendi, & ideò si quis ejusmodi talem rem inventam occultat, furti se obstringit, sive rei dominum sciverit, sive non *l. 43. §. 4. ff. de furt.* quod etiam Jur. Canon. obtinet *per c. multi q. 5. c. 14. Add. Zobel. p. 2. differ. 61. n. 1. 12. & 17.* Et propterea licet non furti ordinariâ, quia non ita fraudulenter & ex proæresi rem illam contrectavit & domino abstulit; Attamen extraordinariâ seu arbitrariâ pœnâ plectitur, *uti ex Coler. testatur Prænobilit. Dn. Beckman. Exerc. Exot. XV. n. 42.* Si autem inventor, qui rei dominum ignorat, per libellum, vel uti aliàs aliquibus in locis moris est publicâ Præconis voce proponat, se talem rem invenisse, & illam desideranti ejusque dominium probanti redditurum, esse *l. 43. §. 8. ff. de furt.* tunc si nemo progressu temporis pro rerum circumstantiis vel longioris vel brevioris appareat, qui rem inventam repetat, quia pro derelicto res illa habita præsumi potest, æquitati maximè est conveniens, ut tota & integra inventori cedat, quippe pro derelicto etiam legitimus acquirendi modus & domini transferendi titulus est, *uti ex Hill. notat Dn. Philipp. usû pract. Inst. lib. 1. Eccl. 20. num. 3.* Monent tamen Dd. communiter & cum illis *Magnif. Dn. Struv. Exerc. XL. th. 60.* piè facere inventorem, præsertim divitem, si rem talem inventam in usus & alimoniam pauperum convertat, *arg. Auth. omnes peregrini verb. in pias causas erogantur. C. comm. de success. Zobel. d. l. n. 10. Schneidvv. ad §. fin. Inst. de rer. divis. Carpz. p. 3. C. 31. d. 18. n. 7.* Si autem verus rei dominus, vel qui eam amisit alius se offerat, dominiumque ejus probet, tunc inventor rem illam ei gratis restituere tenetur, nec pro illis præmium petere, oblatum tamen accipere potest, nisi fortassis quis missus sit à domino, ad rem quærendam, hoc enim casu



inventor pro labore pretium unà cum expensis in rem illam factis petere potest. *l. 4. §. 4. ff. de condict. ob turp. caus. Schneidvv. ad d. §. ult. n. 7. Zobel. d. l. n. 6.* Secus autem est de Jur. Sax. hoc enim inventori certum Edictorum proponendorum terminum, nim. 6. septimanas & 3. dies præscribit, quo termino elapso domino pro repetitione rerum suarum omnis denegatur actio, & duæ partes fisco tribuuntur, tertia demùm inventori cedit. *Schultz. Synops. Inst. ad tit. de R. D. lit. u. Dn. Bechm. Exot. Diss. XV. n. 40. Carpz. p. 3. C. 31. d. 18. n. 10.* Idem Juris est, si dominus non inveniatur. Sed etiam si verus dominus apparens & suam esse rem demonstrans sit extraneus tertiam rei partem attribuit inventori, uti testantur *Schultz. Bechm. Carpz. allegg. loc.*

Th. VI. Neque pro derelicto haberi debent, quæ tempestate subortâ navis levandæ causa in mare projiciuntur, quia non eo animo ejiciuntur, quod quis eas in numero rerum suarum habere nolit, sed quo magis cum ipsa navi maris periculum effugiat. *§. ult. Inst. de rer. divis. l. 9. §. ult. ff. de acquir. rer. dom.* Nemo autem in necessitatibus liberalitatem exercere præsumitur, *l. 18. ff. de adim. vel transfer. legat. l. 29. ff. de donat.* Ideò dominorum permanent, & qui eas animo lucrandi abstulit & detinet, furtum committit. *d. l. 9. ff. de acquir. rer. dom. Carpz. p. 3. C. 31. def. 18. n. 4.* Non obstat *l. 43. §. 11. ff. de furt.* ubi dicitur, quod is, qui jactum ex nave factum tulit, furti non teneatur, cum plerumque rem illam perire credendum sit. Resp. distinguendo inter actionem merè simplicem & spontaneam & inter actionem mixtam, quæ fit quodammodo coactè, sive necessitate aliquâ urgente: Priori casu, cum quis ita sine ullâ urgente necessitate rem aliquam in mare projecit, cum sciat il-  
lam



lam perituram, animus derelinquendi præsumitur, & ideò qui talem rem sustulit, furti non tenetur, quò pertinet *d. l. vers. quod plerumque*. Posteriori verò casu, quandò subest actio mixta, si scilicet necessitas non aliter tulerit, quàm ut levandæ navis & ita periculum maris evitandi causâ res quædam ejiciantur, tunc quia talis derelinquendi animus nullus præsumi potest, furti tenetur, qui ita rem lucrandi animo detinet *per d. l. 43. §. ii. vers. Si verò non hoc animo. ff. de furt. Vid. Magnif. Dn. Struv. Exerc. XLI. th. 60.*

Th. VII. Utut autem inveteratâ jam consuetudine in Galliâ, Angliâ, Hispaniâ, Ostfrisiâ, Holsatiâ & aliis orbis regionibus quàm plurimis, imò in ipsâ Germaniâ nostrâ bona naufragorum dominis, qui naufragium passi sunt, non restituuntur, sed quibusdam in locis inter regalia referuntur, & *ad:æcæ*, seu quorum dominus ignoratur, censentur, & ideò fisco applicantur: attamen quia hæc consuetudo irrationabilis, omniq̃ Jure destituta videtur, cum id, quod contra rationem Juris receptum ad consequentias non producendum *l. 14. ff. de Legib. & malè adinventæ, malæque consuetudines ex longo tempore & longâ consuetudine confirmari non debent per Nov. 134. c. 1.* neque rationi humanæ magis contrarium est, quàm calamitati addere calamitatem, afflicto afflictionem (nisi afflictio ex delicto quodam proveniat) *Gail. lib. 1. observ. 18. n. 4. & 5.* Et præsertim, quia juri naturali è diametro repugnat, cum nullâ causâ præcedente probabili dominium alicui auferre mera injuria ac vel maximè absurdissimum sit ex re tam calamitosâ emolumentum capere *Hencl. ab Hennenfeld libr. singul. quem dicit Otium Vratislav. cap. 37. pag. m. 322. ibiq̃ alleg. Grot. lib. 2. c. 7. n. 1. de Jur. B. & P. Sixtin. de Regal. lib. 2. c. 3.*



c. 3. n. 92. Ideoque rectè hæc consuetudo in Imperio nostro Romano-Germanico sublata, & ut bona naufragorum dominis relinquenda nec fisco deferenda constitutum est in l. 1. C. de Naufrag. lib. XI. & per expressam sanctionem Friderici II. Imperatoris in Auth. Navigia C. de furtis. quem secutus est Carol. V. in Constit. crim. art. 218. Idem quoque ex dispositione Juris Canonici obtinet, c. excommunicationi. X. de rapt. & quod aliquandò in Camera Imperiali contra hujusmodi consuetudines mandata sine clausula decreta fuerint, testatur Gail. lib. I. obs. 18. Add. Hahn. ad VVesemb. w. de L. Rhod. n. 5. In Belgio quoque hæc Juris dispositio adhuc obtinet, ut bona naufragorum fisco sua non faciat, nisi dominus ea intra annum & sex septimanas vindicare neglexerit, tunc enim tanquam adspota fisco cedunt. Vid. Grot. Introduct. l. 2. p. 4. num. 33. Grænev. ad l. 1. C. de Naufrag. Quod autem interdum bona, v. c. Anglorum, aliorumq; exterorum, qui naufragia passi sunt in Imperio Romano, vel ubi aliàs hæc Juris dispositio observatur, illis non reddantur, sed Magistratui, seu fisco, in cujus territorio appulsa, applicentur, hoc non fit jure proprio, sed jure retorsionis, quia neque his talia bona in Anglia vel alibi restituuntur; quod autem quisque Juris in alterum statuit, ipse ut eodem jure utatur, summa suadet æquitas, ut tradit JC. Ulpianus in l. 1. ff. quod quisque Jur. in alt. stat. &c.

Th. VIII. Pauca adhuc restant, quæ ad hanc nostram Inventionis materiam spectant, nimirum de Inventione thesauri propriè dicti aliquid adhuc dicendum. Describitur autem à JCto Paulo in l. 31. §. 1. ff. de acquir. rer. domin. quod sit vetus quædam pecuniæ depositio cujus memoria non extat, ut jam dominum non habeat, Vid.



*Vid. Franzk. Exerc. 4. q. 10. n. 2.* Ex quâ definitione factis, ut mihi videtur, constat, thesauri nomine non venire pecuniam, quam quis belli vel alio calamitatis tempore vel lucri, vel metus, vel custodiae causâ abscondidit, sed illa ad pristinum spectat dominum vel ejus hæredes, ideoque si talis Inventor eam restituere nolit, furti tenetur *per alleg. l. 31. §. 1. in fin. de acquir. rer. dom. Add. Carpz. p. 2. C. 53. D. 10. n. 7. Berlich. p. 2. concl. 66. n. 26.* Et licet saltim probabiliter de domino pecuniæ constet, at tamen nihil Inventori acquiritur, sed domino ejusque hæredibus restituenda *l. 67. ff. de R. V. Magnif. Dn. Struv. Exerc. XLI. th. 53.* Unde si filii domum patris, in quâ pater pecuniam recondidit, vendiderint, & deindè emtor domum reficiens pecuniam illam invenerit, illa pecunia inventa non ad emtorem, quippe qui nullo jure eam possidet, sed ad Venditotem scilicet hæredes patris pertinet *l. 44. pr. ff. de acquir. vel amitt. possess. B. Carpz. p. 2. C. 53. D. ult. Schneidvv. ad §. thesauros. Instit. de rer. divis. ubi n. 8.* similem ferè casum refert.

Th. IX. Consideratâ thesauri naturâ ad ipsam ejus acquisitionem nos nunc convertimus, circa quam cum non melius, quàm ex diversitate loci, in quo thesaurus fuit depositus, thesauri inventi dominium æstimetur, meritò uniuscujusque loci ratio haberi debet. Itaque si quis in loco seu fundo proprio, vel religioso ad ipsum tamen spectante etiam datâ operâ honestâ thesaurum invenerit, ille quin totus ad Inventorem seu dominum loci spectet, nullum est dubium *§. 39. Inst. de rer. divis. cum sit Dei beneficium l. un. C. de Thesaur. & donum fortunæ l. 63. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* Secus est, si quis sceleratis sacrificiis vel artibus magicis thesaurum quæserit & invenerit, tunc in quo-

E cun-



cunque loco inventus totus fisco applicatur *l. un. C. de thesaur.* & talis Inventor tanquam maleficus puniri potest, uti per *l. 5. C. de malef. & mathem. tradit Schneidov. ad § thesaur. Inst. de rer. divis. n. 5.*

Th. X. In loco autem alieno privato si quis fortuito casu thesaurum invenerit, non totam sed dimidiam ejus partem suam facit, & alteram istius loci domino restituere tenetur, § 39. *Inst. de R. D.* Si verò inveniens thesaurum eum occultat eo fine, ut totum retinere velit, poenâ arbitrariâ coërceri potest, testante *B. Carpzov. p. 2. Constit. 53. D. 7.* ubi Jctos Lipsienses M. Nov. A. 1660. hoc modo respondisse asserit: So ist der Zimmermann den halben Theil des gefundenen Geldes demjenigen/ auff dessen Grund und Boden er es gefunden/ zuzustellen schuldig/ und wird von wegen dessen/ daß er solch Geld verborgener weise allein behalten/ mit Gefängnis auff 14. Tage billig gestrafft *B. X. W.* Secus autem est, si datâ operâ sive licitâ sive illicitâ thesaurum invenerit, tunc enim Inventor nullam ejus lucratur partem, sed totus illius loci domino cedit, *d. §. 39. Instit. de R. D. ibique Schneidov. num. 8. Magnif. Dn. Struv. Exerc. XXI. th. 53. Berlich. p. 2. concl. 66. n. 10.* Idem dicendum est de thesauro in loco publico vel religioso, puta Cæsaris, Civitatis vel Fisci reperto, *d. §. 39. Inst. de rer. divis. l. 3. §. 10. ff. de Jur. Fisc.* Et si partem fisco competentem quis suppresserit, totum thesaurum cum altero tanto solvere cogitur *l. 3. §. 11. ff. de jur. fisc.* Insuper etiam notandum, quod is, qui pecuniam à se repertam non quidem diffitetur, quantum verò fuerit, fateri tergiversatur, ad juramentum præstandum compelli possit, ut ita veritas manifestetur: Et si homo levis sit ac de metu perjurii suspectus, tunc illum torturæ subjici posse, testatur *B.*

*Carpz.*



*Carpz. p. 2. Const. 53. def. 8. Præ Nobiliss. Dn. Bechm. Exor.  
Diss. XV. n. 31.*

Th. XI. Quid autem dicendum est, si thesaurus in domo noviter empta sive datâ operâ s. fortuito inventus fuerit, ad quem pertinebit, nûm ad emptorem, nûm verò ad venditorem? Et talem thesaurum ad emptorem pertinere dicimus *cum Dn. Hahn. in not. ad Wesemb. tit. de contrahend. emr. n. 8.* & quidem (1.) quia thesaurus nullius est, quod autem nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur *per l. 3. pr. ff. de acquir. rer. domin.* Et quia (2.) Venditor thesaurum nunquam possedit, quippe qui illum nescivit, qui autem nescit, non possidet, quamvis possideat, *l. 3. § 3. vers. Caterum. ff. de acquir. vel amitt. possess. Magnif. Dn. Richt. p. 2. Dec. 99. n. 102. & seqq.*

Th. XII. De thesauro autem in fundo proprio invento nullum est dubium, quin totus inventori acquiratur, si dominus illius fundi plenum & irrevocabile habet dominium. Aliud est dicendum, si quis habet dominium revocabile, ut Emphyteuta in fundo emphyteutico *l. 1. §. 1. ff. si ager vectig. pet.* Vasallus in fundo feudali, maritus in fundo dotali, item emptor, qui emit fundum cum pacto adjecto de retrovendendo. Horum si quis thesaurum invenerit, dimidiam tantum partem lucratur, *Rennem. de Jure rer. Diss. IX. th. 9.* non quidem ut dominus, sed ut alius extraneus inventor, & dimidiam partem domino directo restituere tenetur, ob dominium, quod vocant directum, cujus Jus longè excellentius est, *Magnif. Dn. Strauch. Diss. 6. th. 33. Berlich. p. 2. concl. 2. n. 56. usq. ad n. 63.* Ratio autem est, quia rei immobilis beneficiatæ proprietas ad Vasallum non transit, sed penes dantem remanet, *per text. 2. Feud. 23. vers. hujus autem.* Insuper etiam hæc dari potest ratio, quod thesau-



rus non sit pars fundi, quia *in l. 3. §. 3. ff. de acquir. vel a-*  
*mitt. poss. ff.* negatur cum ipso fundo possideri: Neq; the-  
saurus in fructu est, uti patet *ex l. 7. §. 12. ff. solut. matrim.*  
*Carpz. p. 2. C. 53. def. 6. n. 3. & 4.* Nunc autem Emphyteu-  
ta, Vasallus, maritus, cum certis casibus domini esse desi-  
nant, tantum ut usufructuarii habentur, qui thesaurum  
in fundo ejusmodi inventum sibi non totum, sed tan-  
tum pro dimidia parte, & pro altera parte proprietario  
seu domino directo acquirunt. *Vid. Schneidvv. ad §. 39.*  
*Instit. de rer. divis. n. 8. vers. Et extenditur hac conclusio.*  
*Dn. Philipp. lib. 2. Eccl. 18. n. 10. Add. Berl. d. l. n. 57. & seqq.*  
Idem Juris statuendum est in Creditore, qui in re oppi-  
gnorata thesaurum invenit, *l. 63. §. 4. ff. de acquir. rer. do-*  
*min. Schneidvv. d. l. n. 8. in fin.* In praxi tamen quoad Va-  
sallum & Emphyteutam contrarium observari, testatur  
*Schultz. synopsis. Inst. de rer. divis. lit. aa. Zobel. p. 2. diff. 62.*  
*n. 1. ibiq. concl. 8. & ult. Schneidvv. d. l. n. 7. Carpz. p. 2. C.*  
*53. def. 6. n. 7. & 8.*

Th. XIII. Sicuti autem Jus venandi & alia, quæ  
sunt juris gentium Principes hodiè sibi attribuunt, & in-  
ter regalia, quibus Majestas Principis conservatur, re-  
ferunt; Ita etiam thesaurus in quocunque loco etiam  
proprio inventus ex consuetudine quorundam loco-  
rum hodiè territorii Principi seu fisco acquiritur, te-  
stante *Magnif. Dn. Struv. Syntagm. Jur. feud. c. 12. aph. 5.*  
*n. 3.* cujus rei rationem non inelegantem tradit *Grot. de*  
*Jure B. & P. lib. 2. c. 8. n. 5.* Quæ tamen consuetudo non  
est universalis, & proindè non prorsus videtur abroga-  
ta per vetus de thesauro constitutio, *Schultz. synopsis. Inst.*  
*ad tit. de R. D. lit. y.* Et hæc pro Instituti ratione suffici-  
ant de amplissimâ hac Occupationis materiâ, de quâ  
integrum tractatum scribi posse fateor; sed cum tan-  
tum



tum Disputationem seu theses aliquas, non verò integrum tractatum conscribere, animus mihi fuerit, hinc subsisto, teque benevole lector, ut hunc laborem non omnibus numeris, ut facilè agnosco, absolutum, placitè censeas, obnixè rogitò.

---

*I*Ndagare feras, laqueo captare volucres  
*E*t fluviiis nitidos hamis educere pisces,  
*Q*uis, quò Jure, queat? sistis, spes certa Tuorum &  
Nostrum, MI BOILLNERE, Decus! cum laude  
cathedram  
Nunc ascende, Tuas alacer defende disertò  
Ore Theses; meritam Tibi nectit Jena coronam.

B. R. E. F.

Christoph. Philip. Richter / D.  
Com. Pal. Cæs. Facult. Jur. Ordinarius & P. P.

---

*S*emper opus doctum commendat, Amice,  
magistrum,  
Quale Tuum præsens, quod probat ipsa  
Themis.  
Ergò nunc meritò perdocto applaudo labori,  
Ex hoc ut capias commoda mille, precor!

*Sic literatissimo Dn. Respondenti animitus  
gratulatur*

PRÆSES.

E 3

Te



**T**E quoque divinæ Themidis nunc publicus  
ardor.

OCCUPAT, & cathedram scandere ritè paras?  
Scilicet hos fructus Patriæ, perdulcis Amice,  
Eminè ostendis, dulce laboris opus.  
O te felicem, qui tanto fœnore sumtus  
Impensos reddis! sic pia jura jubent.

*Sic pereximio Dn. Respondenti gratulatur*

Daniel Beyer / J. U. Candid.

---

**M**ulti repperiuntur, latitando qui  
Se esse beatos  
Rentur & errant:  
In campo experientes sua robora  
Et superantes  
Laude feruntur.

*Jö, Bollnere!* satis publicitus Tuas  
Exfere vires,  
Atque periculum

Instans fortis adi! LAUS, HONOR ET DECUS  
Grande paratum est.

*Grator Amico.*

*LMg, Fautori & Consalino meo integerrimo Disputatio-  
nis Authori Nobili atq, Clarissimo, Jurium Cul-  
tori felicissimo, omnique honore dignissimo  
hoc app.*

M. Jac. Calmberg, Goth. S. S.  
Theol. Stud.

*Sono*



Sonnet.

**W**ein treuer Pythias, der Weisheit Felsen-Grund/  
Den Fechner dir gelegt in Vratislaus Zinnen/  
Und den am Weichsel Fluß bei'n Danziger Castalinnen  
Mit Fleiß befestigt hat des Mauckisch's weiser Mund/  
Bestehet unverrückt noch bisz auff diese Stund/  
Dieweil du spüren läst/ daß deine kluge Sinnen  
Durch dieses weise Blat/ D rühmliches Beginnen!  
Mit Themis Götligkeit beschliffen einen Bund.  
Und deine Weisheit ihr wil Hauß und Tempel bauen/  
Glück zu! Wohlan bau' hin/ kein Wetter/ keine Zeit  
Wird hindern diesen Bau; Wil Theons blasser Neid  
Mit seiner Schelsuchts-Art dir diesen Bau zerhauen/  
So trau' daß Schröter bald der hochgelehrte Mann  
Durch seinen Weisheits-Strahl die Hiebe hemmen kan.

Johann Zauditz von Breslau/  
B. R. B.

---

**H**ochgestammtes Ritter-Recht/  
Oder and're Adels-Orden/  
So einmahl vergönnet worden/  
Sollen stehen ungeschwächt/  
Wie der klugen Themis Schrifften  
Hin und wieder Regeln stifften.  
Drum das Wasser/Wald und Feld/  
Und was diese mit sich führen  
Mag durchhegen und durchspüren  
Ein der Jagt verliebter Held;  
Mönche sollen sich hingegen  
Für den Forst ins Kloster legen.  
Wie du/mein geliebter Freund/  
Solches aus Astraa Rechten  
Bittt ist öffentlich verfechten/  
Mit dem der es anders meint.

i Jah.



Fahre fort weil schon entgegen  
Baldus kömmt / bring't reichen Seegen.  
Ich gedenck' ist allbereit  
Wie du solchen werd'st erlangen  
Und ich möge dich empfangen/  
Unterdessen leb' erfreut!  
Lebe wohl! ich wüntsche Glücke!  
Daß dich Clio bald erquicke.

Seinem sehrwerthen und vielgeliebten Herrn Tisch-  
Mitt- genossen wolte aus sonderbahrer Affe-  
tion also zuruffen

Rudolff Roth von Ulm.

Ein hochgeschähter Freund / es lehre dein kluger Mund/  
Wie man mag Vögel / Fisch und wilde Thiere fangen/  
Wie in bezwung'ner Stadt man Beute mag erlangen/  
Und wie man Schätze find' in Erd' und Meeres- Grund;  
Doch ist dis vorzuzieh'n den reuer- wehr'ten Schätzen/  
Wenn durch gelehrte Schrifft man / wie du ist gethan/  
Sich gänglich sonder ab von's groben Pöbels Bahn/  
Und den erworb'nen Ruhm kan biß an Polus sehen.

Mit schuldigst- eilender Feder setzte dem Herrn Re-  
spondenten / als seinem hochgeschähten Freunde  
und Consalino dieses hinzu

Malachias Petschius, LL. Studiosus.


I BOLLNER! bona cum doctis certamina misce;  
Strenuus I! capies munera: Victor abi!  
Magnos Patronos ingens Tuus occupet Ardor,  
Ipforumque TIBI pectora conciliet.

*Sic Fautori & Amico colendissimo cum  
voto adesse voluit*


Christian Gotthelf Birnbaum/  
Dresdâ - Misnicus.

F I N I S.











ULB Halle 3  
003 596 869




*Sb*

*DA*











482.

1669, 35<sup>a</sup> 32  
H  
/

Auxiliante DEO Trinuno!  
DISSERTATIO JURIDICA  
De

# OCCUPATIONIBUS.

Quam  
Autoritate & Consensu  
MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS  
IN ILLUSTRISSIMA SALANA  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI

Præ-Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi  
atque Excellentissimi

DN. ERNESTI FRIDERICI  
Schröters/ Hæreditarii in Wickerstädt/ Jcti  
& Antecessoris Famigeratissimi, Consilarii Saxonici  
Eminentissimi, Curiaæ Provincialis, Facultatis Juridicæ &  
Scabinatus Adessoris Gravissimi, nec non p. t. DE-  
CANI spectatissimi,

Dn. Præceptoris, Patroni, atque Studiorum Promotoris  
omni observantiæ cultu æternum venerandi,  
publicæ Eruditorum disquisitioni

subjicit  
GOTHOFREDUS Bollner/  
URATISLAVIENSIS,  
AUTOR

In Auditorio Jctorum  
Ad diem Mensis Julii AN. M. DC. LXIX.

JENÆ, Typis JOHANNIS WERTHERI.

